

N.P.
S.XVII
F-88

20
A. 11111

cyp. 95. dret

XVII
F-88

A. L. D. Merlino


Valentina Turisbedundi

curia iudicatrix
valentina

Valencia


1635

©Biblioteca Valenciana Nicolau Primitiu (Generalitat Valenciana)



©Biblioteca Valenciana Nicolau Primitiu (Generalitat Valenciana)

L. 7.020
H
1111



R. P. D. M E R L I N O

Valentina Iuris sedendi.

Luna 12. Junij 1634.

STE T E R V N T Domini in decisis sub die 16. Decembris præteriti coram me: iterumquè hodie responderunt, licere Præpositis occupare sedes vacuas Canonorum Choro non interessentium, ex rationibus in dicta decisione adduætis.

Quibus non obstant Testes postremò in Curia examinati ad effectum probandi contrariam obseruatiā, & quod Canonici habent proprias sedes, quæ à Præpositis nunquam occupantur: quoniam dicti testes hoc non probant, & quantum probarent, huiusmodi etiam probatio non relevaret.

Non probant, quia non percutiunt tempus antè motam litem, quæ incepit ab anno 1597. actus autem facti lite pendente, de quibus testes deponunt, nullius sunt momenti ad firmandam obseruantiam, aut aliquid ius in fauorem Canonorum, iuxta tradita per Abbatem in cap. licet ex quadam, num. 3. vbi Ancharan. num. 5. de Testib. Dec. cons. 82. num. 1. Rota apud Caputaq. decis. 412. part. 2. & coram San. me. Gregorio XV. decis. 325. n. 12. & decis. 382. n. 2. & per Addent. ad decis. 4. in prima addit. atque in recent. decis. 409. n. 4. part. 2. nec villam congruam, & concludentem reddunt rationem eorum dicti, quæ ratio dæ esse

testimo-



val.

1032 F. 2

testimonio, ut inquit Abb. conf. 105. n. 1. in fin. & 2. lib. 1. Rota apud Cardin. Mant. decif. 48. num. 8.

Non enim concludit ratio illa, quod vñus ex Canonicis occuparet decimam quintam sedem, quasi quod illa esset limes, ac terminus sedium canonicalium, atque aliæ sedes intermedie intra dictum numerum essent vacue, neque à Præpositis occuparentur: quia contingere id potuit, ex eo, quod Canonici iam aduenissent, sed non ascenderint Chorum, vel recesserint à Choro statim reddituri cum primūm diuina inchoarentur officia: quod & sumi videtur ex depositione tertij testis afferentis se id vidisse, dum stabat ad portam Chori, ad effectum dandi cappam Domino suo, quæ non datur nisi in principio officij: à quo testis dicto certum tempus exprimitis, videntur restrictionem, & interpretationem recipere alij testes indefinitè deponentes. *Cesar de Graff. decif. 8. num. 10. de caus. posse. & propri. Gabr. de testib. concl. 6. num. 10. & 11. Caputaq. decif. 206. num. 5. part. 2. & coram Reuer. D. meo Decano decif. 99. num. 3.* Et ex eo quod Canonicus existebat in decimaquinta sede, quasi terminus, ne Præpositi occuparent anteriores sedes, duo videntur posse inferri. Primò quod reuera, semoto impedimento, Præpositis consuevit liber dari aditus ad illas sedes superiores. Secundò quod actus, de quibus testes deponunt, sunt gesti post motam item, & controversiam super iure scandi, & sic non considerabiles, ut supra dictum fuit.

Minus congruit alia ratio, quod dum traditur possessio alicui recenter prouiso Canonicō, illa semper traditur in 15. sede, & sic quod nec illa sedes, neq; anteriores possunt unquam occupari à Præpositis, quiā sunt stalli canonicales propriei, dum in his capitur possessio, ex Butr. in cap. in literis, num. 30. vers. *Etsi non sint, de restit. spol. Roman. conf. 482. num. 2. Cardin. Causal. decif. 198. num. 1.* Quoniam non controvèrtitur sedes canonicales esse stalla Canonicorum, & stallum ab alio inferioris ordinis regulariter occupari non posse: sed ex indulto Pontificis, & ex rationibus ponderatis in alia decisione, permisum est Præpositis subingredi illas sedes canonicales, dum à Canonicis non occupantur; Et doctrina Butr. atquè aliorum supra allegata procedit quando Canonici habent sedes fixas, & proprias, prout in Cathedrali hac Valentina habent Dignitates, quarum sedes propterea nunquam à Canonicis, quamvis contiguam sessionem habentibus, occupari possunt, & à Dignitatibus ad Canonicos non benè infertur, dum isti non habēt proprias, & distinctas sedes a Præpositis quemadmodum habent Dignitates, à Canonicis.

Et demum ex dictis Testibus aliqui deponunt de auditu, aliqui de credulitate, & alii fatentur se parum informatos de prærogariis Præpositorum, quibus exceptionibus eorum dicta plurimum eliduntur, & nullus ex dictis Testibus afferit, Præpositos voluisse occupare sedes vacuas, & à Canonicis fuisse repulso, aut prohibito, ipsique prohibitioni acquiesce Præpositos: quibus positis reuera posset pretendi à Præpositis amissum fuisse ius, & priuilegium facultatum occupandi vacuas sedes Canonicorum, *Doct. in l. i. C. de seru. & acq. Surd. conf. 127. num. 21. & dixit Rot. in Dertusen. Vicarie 22. Aprilis 1624. coram me.*

Verum quatenus etiam ex testium depositione resultaret prætensa probatio, non tamen suffragaretur Capitulo aduersus Præpositos, tum quia indulsum apostolicū Sixti V. in quo decernitur, ut Præpositi sedeat immediatè post Canonicos, & sic quod occupare possint etiam sedes Canonicorum, dum illi absunt à Choro, habet clausulam, sublata, &c. & decreti irritantis, &c. per quas

quas inficitur contraria quævis obseruantia, & possessio, Franch. in cap. cum de
beneficio, de præbend. in 6. Gabr. de claus. conclus. 3. n. 3. Rot. coram Reuerend. D. meo
Decano decis. 51. num. 2. & in recent. 152. nu. 4. part. 2. tūm etiam, quia cum præ-
rogatiua hæc immediatae sessionis post Canonicos in erectione Præpositu-
rarum fuerit ipsis Præposituris, & Præpositorum cætui, & corpori vniuersali
concessa, non potuit ex facto aliquorum Præpositorum præiudicium inferri,
glos. in cap. dudum in 2. verb. de veritate, in fin. de elect. Rom. conf. 374. nu. 5. Menoch.
conf. 39. num. 55. Rot. decis. 13. de procurat. in nou. & in recent. decis. 705. num. 7. in fin.
& in Mediolanen. Decimarum 9. Iunii 1610. coram R. P. D. meo Pirouano, & semper
Præpositis, etiam si expressè consensissent, permisum est, tam in petitorio,
quæm possessorio, nomine Præpositurarum agere, & illatum iura vindicare,
iuxta Caputaq. decis. 170. & 182. par. 3. Addent, ad san. me. Gregor. XV. decis. 116. n. 4.
& 5. & fuit dictum in Colimbrien. Præstimoniorum 10. Decembr. 1631. & 18. Iunii
632. coram R. P. D. meo Dunozer. & in eadem 27. Iunii 1633. coram Reuerend. D. meo
Decano, & in Placentina precedentiæ 27. Iunii 1633. coram me.

Quæ dicebantur de maioribus Canonorum prærogatiuis, & quod ordi-
ne, & Dignitate sunt superiores Præpositis, qui reputantur simplices Benefi-
ciati, vt in sum. Capituli numero 1. 2. & 3. ex quibus inferebatur incongruum
esse, vt ordines confunderetur, quorum distinctio in materia præminentiali
multum est attendenda, l. 1. & 2. C. vt dignit. ord. seruet. lib. 12. Menoch. conf. 126.
num. 1. Gratian. cap. 845. nu. 3. vila fuerunt Dominis non relevare, quia in mul-
tis Præpositi æquiparantur Canonicis, & Dignitatibus; nempe in thurifica-
tionibus, in pulsatione campanarum ad funerandum, & in aliis, itaut simpli-
ces Beneficiati reputari non debeant: & antiqui Præpositi, in quorum locum
sunt subrogati isti Præpositi dicebantur in dignitatibus constituti, vt appareat
ex constitutione Capitulari edita 21. Octobris 1500. Incipien. Dudū Consti-
tutione. Et satis est, vt Præpositi in Choro eundem cum Canonicis habitum
induant, & in pari ordine æqualem, & eiusdem generis, ac materiae sedem ob-
tineant: quæ magis proxima, & magis subordinata sunt ad ius sedendi, vt
potiantur prærogatiua occupandi sedes vacuas Canonorum: & imparitas
respectu aliorum non videtur quicquam habere commune cum iure sedendi:
nec implicat, vt Præpositi in aliquibus impares, in alijs pares sint Canonicis.
Quemadmodum & in Vaticana Principis Apostolorum Basilica compertum
est, Capellanos prouisos Capellanijs ab Innocentio VIII. erectis, quamvis
diuersi recentioris, & imparis sint ordinis, diuersos prouentus, & distributio-
nes percipient, tamen quia eodem viuitur habitu, in Choro sedent immedia-
tè post Beneficiatos, & eorum absentium sedes vacuas subingrediuntur, &
occupant, vt testabatur R. P. D. meus Buccabella olim Canonicus eiusdem
Basilicæ S. Petri, quod exemplum, & ritum respicere debent Canonicus Va-
lentini, cum ipsa Vaticana Basilica in sacris cæremonijs, & Chori disciplina
omnium sit exemplar, & magistra Ecclesiæ. Et doctrinæ laus in Theolo-
gia, ac Iure Canonico, qua præcellunt Præpositi, & in publicis profitentur
gymnasijs implere potest, si quæ desunt illis ad æquandam Canonorum
Dignitatem: viros quippè literis excultos, cæteris digniores, & præponen-
dos facri passim pronunciant canones, vt in cap. ex parte, de constit. cap. graue, de
præbend. cap. decorum, de Iustit. Ideoque Canonicis graue esse non debet, vt ipsi
Præpositi eiusdem sedis consorcio assidentur: ultra quod super maioritate
præminentiarum inter Canonicos, & Præpositos lis etiam pendet in Sacra
Congregatione Rituum.

Minus

1948 - 5 pte

Minus obstat putarunt Domini constitutionem san.me. Pij IV. confirmatoriam statuti Ecclesiae Valentinae, prohibentis quemquam admitti ad sedes Canonicales, absque consensu Capituli, quia vel non comprehendit Præpositos eundem habitum cum Canonicis gestantes, cum dicta constitutio excludat solum non indutos vestibus canonicalibus; vel per posteriorem cōstitutionē Sixti V. in erectione istarū Præpositurarū æditam, abrogata fuit, seu declarata dispositio dicti statuti, & Bulle san. me. Pij IV. ex tradit. per Berou. conf. 147. num. 28. vers. Et licet lib. 3. Roland. conf. 67. num. 26. lib. 3. Rot. decis. 506. num. 5. part. 3. recent.

Quod autem dicebatur verba illa, iuxta ordinem ad id eius præscribendum, &c. inferre, quod Sextus V. intellexit locum sedendi relinquere determinationi ipsius Capituli, vilum fuit satis esse sublatum ex responsione data in alia decisione, vers. Non obstat quod in literis, &c. cum qua etiam hodie Domini transferunt.

Et ita utraque parte informante resolutum fuit.

Imprimatur.

Doctor Dolz Vic. gñlis.

Potest imprimi.

Ortiz Regij Fisci Aduoc.

VALENTIAE,

Per Ioannem Baptis̄tam Marçal,

iuxta Templum D. Martini,

M. DC. XXXV.





©Biblioteca Valenciana Nicolau Primitiu (Generalitat Valenciana)

